

moraliter, et metaphorice movet; sed tamen carentia illius principii per affectum interiorem ad illud, reddit simpliciter impossibilem operationem bonam, quæ a tali fine dependet; nec tamen tollitur libertas, quia culpa sua non habet finem bonum, cum possit.

VIII. Secundo dicitur, quod potest omnia peccata mortalia divisive, et seorsum evitare etiam potentia proxima, et morali si ex præmeditatione, et cura non agat ex fine præconcepto, sed ex alio; non tamen potest omnia collective, quia non semper potest esse in continua præmeditatione contra finem conceptum, nisi recedendo ab ipso fine; et sumitur ly collective, non pro eo quod est simul, sed pro eo quod est continuative, quia est specialis difficultas in continuando unum actum post alium, quam in faciendo unumquemque seorsum, et tunc quando dicimus quod non potest omnia collective, non est quia datur aliquod opus determinandum, et in individuo designabile, quod non possit facere, possit autem reliqua, sed tota collectio illa est terminus extraordinarius, et extrinsecus in quem non potest homo, eo quod aliquod ex illis indeterminate, et confuse non potest continuare cum aliis, sive sit hoc, sive illud: quodcumque tamen signatum, et determinatum potest facere, et ideo quodcumque non evitat, peccat.

IX. Ad secundam probationem dicitur, quod licet aliquis teneatur vitare omnia peccata mortalia, non tamen tenetur adhibere omnia media, quæ sunt necessaria ad vitandum peccata in communi, et in confuso, sed solum illa media, quæ habent proximum, et morale periculum, nisi respectu alicujus peccati determinati, et in specie; qui autem non est in gratia, habet periculum cadendi in aliquod pecca-

tum, quasi collective, et in confuso, sed non respectu alicujus divisive, et in singulari, quia quodlibet designatum vitare potest, unde ex vi hujus non tenetur statim pœnitere, sed suo tempore, quia est præceptum affirmativum. Est tamen notandum quod D. Thomas in hoc articulo octavo mutavit sententiam illam, quam tenuerat in II, distinct. XXVIII, quæst. I, art. II, ut bene advertit Cajetanus hic. Unde ex illo loco nequit deduci argumentum contra nos.

X. Dico secundo: Nullus etiam in gratia constitutus potest in hac vita sine specialissimo Dei auxilio vitare omnia peccata venialia. Quod privilegium pro tota vita soli Beatissimæ Virgini Mariæ est concessum. Itaque non sufficiunt auxilia ordinaria, et specialia etiam supernaturalis ordinis communiter data sanctis, sed requiritur aliud valde speciale ultra ea, quæ sanctis data sunt. Et loquimur de omnibus venialibus, tam ex deliberatione commissis quam sine illa, tam in ratione superiori quam in appetitu inferiori. Conclusio habetur manifeste ex Tridentino, sess. VI, c. XI, et canone XXIII, in capite XI dicit Concilium: « Quod licet in hac mortali vita quantumvis sancti, et justii in levissima saltem, et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justii: » et canone XXIII: « Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, aut posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. » Ubi ponderandum est, quod si homines quantumvis sancti, et justii in hæc venialia incidunt (ut priori loco docet Concilium) ex speciali autem privilegio Beata Virgo non cecidit; ergo tale

privilegium requiritur, quod excedat quantumvis sanctos, et justos; ergo ex auxiliis communibus, vel etiam specialibus communiter datis etiam maxime sanctis, non evitantur omnia peccata venialia, sed requiritur specialissimum, taliter quod excedat auxilia aliis quantumvis sanctis data.

XI. Ex quo sequitur non bene sentire Curiel hic art. VIII, dub. II, quod si quis diceret hoc privilegium esse alteri concessum quam Beatæ Virgini, non esset dignus censura, quia Augustinus libro de perfectione justitiæ, capite ultimo, et epist. XCV, aliisque locis ait: « Quod qui hoc privilegium alicui concederet, non multum erraret, nec se audere eorum sententiam reprehendere. » Sed oppositum deducitur meo videri evidenter ex Concilio, et ita sentit Lorca hic disputatione XIV, circa quartam difficultatem; sic enim dicit Concilium: « Quod quantumvis justii, et sanctii in hæc peccata incidunt; » ergo nullus est tam justus qui non incidat, hæc enim sunt æquipollentia: ergo dicere de aliquo justo quod habuit privilegium non incidendi est contra istam universalem, si quidem assignatur aliquis justus qui non incidit. Et præsertim quia Concilium ponit exceptionem per privilegium in sola Beatissima Virgine Maria; ergo signum est quod in alio quantumcumque justo, et sancto talem exceptionem non admittit etiam per privilegium, nec Augustinus absolute dicit Non errare qui hoc dixerit, sed non multum errare, quia non est ita immediate contra fidem, sed temerarium, vel alia inferiori qualitate censurabile, et non contra fidem, vel potius noluit Augustinus de hoc plene judicium ferre, sed indecisum reliquit. Quod vero Ecclesia canit de Baptista fugisse in desertum: « Ne levi saltem maculare vitam fame

posset, » ubi videtur insinuari quod nec etiam levi macula peccaverit, respondetur non esse sensum, quod evitavit omne peccatum veniale, sed omnem famam etiam levem peccati: non tamen censurabile putarem si alicui eximio tribueretur hoc privilegium evitandi omnia peccata venialia non pro tota vita, sed pro aliquo determinato tempore non valde longo, quamvis etiam in hoc modeste procedendum est, quod enim non tribuitur Apostolis, qui primitias Spiritus habuerunt, quomodo inferiori alicui sancto tribui potuerit? Apostoli autem non omnia peccata venialia evitarunt, etiam post acceptum Spiritum sanctum, nam Petrus fuit reprehensus a Paulo ad Galatas II, quia reprehensibilis erat, et Joannes dixit: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

XII. Sed inquires, quæ sit ratio, et fundamentum hujus impossibilitatis vitandi omnia peccata venialia, ex quo ulterius cognoscemus, qualis gratia, et privilegium requiretur ut vitari possint, respondet S. Thomas in hoc articulo octavo rationem esse propter corruptionem sensualitatis (id est, appetitus sensitivi) cujus singulos motus divisive, et secundum se potest ratio reprimere, sed non omnes; tum, quia dum reprimatur unus, insurgit alius; tum, quia ratio non potest esse in continua vigilantia ad tam multa, quæ occurrunt tamquam materia venialium, quia in hac vita omnino dependemus a sensibus, et ita sensibilia objecta nimis movent, et quandoque præveniunt plenam deliberationem rationis: cum autem ratio non possit aliquo modo uti operatione sua, nisi dependenter a sensibus, non potest contra omnia sensibilia insurgentia præveniri, et ad omnia attendere, nisi vel habeat

operationes a sensibus independentes, quod huic vitæ mortali non convenit pro tota vita, vel longo tempore, vel ipse appetitus sensitivus alligetur ne contra rationem insurgat. Quare non negamus quod in aliqua determinata materia possint per gratiam ordinariam, et specialia auxilia vitari omnia peccata venialia talis materiæ, verbi gratia in furto, aut in mendacio parvitas materiæ, etc. Imo Curiel existimat omnia venialia quæ ex deliberatione fiunt posse ordinariis gratiæ auxiliis vitari, id est, sine ullo speciali privilegio: ad vitandum autem omnia peccata venialia simpliciter, id est, tam ex deliberatione, quam sine illa, necessarium esse specialissimum privilegium, id est, ligatio fomitis.

XIII. Dico ergo resolutorie, quod ad vitandum omnia peccata venialia, etiam ex subreptione, requiritur auxilium gratiæ impediens ne insurgat aliquis motus in appetitu sensitivo contra rationem, quod est alligare fomitem; ad vitandum autem omnia peccata venialia ex deliberatione provenientia requiritur auxilium præveniens rationem ne deliberet in materia etiam levi contra, vel præter regulam rationis: auxilium autem sufficiens datur ad evitandum singula peccata divisive, et hoc omni homini datur, alioquin non peccaret in quolibet peccato veniali divisive, si ad illud evitandum non haberet sufficiens auxilium. Quia ergo in Beatissima Virgine fuit ligatus fomes, vel etiam extinctus, ut cum D. Thoma in part. quæst. xxvii, art. iii, docent theologi, quia vel ex divina providentia fiebat ne insurgeret aliquis motus appetitus inferioris contra rationem, quod est fomitem esse ligatum, vel ex dono gratiæ per modum justitiæ originalis appetitus manebat omnino subiectus rationi, quod est fomitem es-

se extinctum, id est, manere appetitum sicut in statu innocentiae, quod D. Thomas intelligit factum fuisse in Virgine, postquam Christum concepit, licet ab initio fuerit ligatus, ideo in ipsa nullum fuit peccatum veniale; et juxta principia D. Thomæ dicendum est, quod nec potuit esse post extinctum fomitem, quia ut docet 1-2, quæst. lxxxix, artic. iii, homo in statu innocentiae non poterat peccare venialiter, gratia autem Beatissimæ Virginis fuit sicut status innocentiae fomite sublatum.

XIV. Contra istam conclusionem non sunt argumenta alicujus momenti, nec roboris, nisi ea quæ sæpius soluta sunt, quomodo scilicet homo sit liber, et obligatus ad evitandum omnia peccata venialia, si hoc est impossibile. Dicitur enim, et respondetur, quod est liber, et obligatus ad evitandum omnia divisive, non collective, nec enim datur præceptum respiciens omnia collective, sicut nec votum evitandi omnia collective validum est, sed solum quia datur obligatio evitandi singula potest homo evitare omnia, non solum dicit evitacionem omnium secundum se, et seorsum, sed secundum continuationem evitandi unum post aliud, vel multa simul quæ insurgunt, et ista continuatio habet specialissimam difficultatem, quæ communibus auxiliis non potest superari, quare deest moralis potentia, quæ consistit in continua applicatione boni honesti, et finis ad evitandum omnem deliberationem, etiam in materiis levissimis contra rationem, et in continua protectione partis sensitivæ, ne insurgat contra rationem, etiam ante omnem deliberationem, nec tamen illa physica potentia evitandi omnia peccata venialia collective est frustranea, licet non reducat totaliter ad actum; non enim oportet quod

reducatur ad actum simpliciter, sed sufficit quod reducat secundum aliquid sui; reducitur autem dum singula divisive evitantur, vel evitari possunt.

XV. Nec valet dicere, si de facto evitarentur omnia divisive, evitarentur omnia simpliciter; ergo si potest evitare omnia divisive, potest evitare omnia simpliciter. Respondetur enim, quod in antecedenti in illa particula de facto involvitur non solum evitatio omnium secundum se, et seorsum, sed etiam secundum continuationem, atque adeo collective, si quidem de facto ponuntur omnia; in consequenti vero non ponitur illa continuatio, sed solum potestas ad evitandum singula secundum se; unde concedendum est in consequenti, quod potest evitare omnia simpliciter potentia antecedenti, non potentia consequenti, quæ scilicet est conjuncta cum actu complectente omnia collective.

SEQUITUR EXPLICATIO LITTERÆ D. THOMÆ.

XVI. In articulo nono inquit D. Thomas utrum ille qui jam est consecutus gratiam per se ipsum possit operari bonum, et evitare peccatum absque auxilio gratiæ. Respondet duplici conclusione. Prima conclusio: Præter gratiam justificantem non indiget homo alio dono habituali ad ista omnia. Secunda conclusio: Homo justificatus indiget auxilio Dei movente præter gratiam justificantem ad ista exequenda.

XVII. In articulo decimo inquit D. Thomas, utrum homo in gratia constitutus indigeat auxilio gratiæ ad perseverandum. Respondet duplici conclusione. Prima conclusio: Si perseverantia sumatur pro habitu inclinante ad perseverandum, quæ est virtus perseverantiæ non indi-

get homo justificatus nova perseverantia præter gratiam infusam. Secunda conclusio: Si perseverantia sumatur pro actuali continuatione, qua homo perseverat usque in finem, indiget præter habitum gratiæ auxilio dirigente, et protegente, quod est donum perseverantiæ.

## DISPUTATIO XXI.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD OPERANDUM IN HOMINE JUSTIFICATO

### ARTICULUS I.

*Utrum homo justificatus indigeat speciali gratia, sicut et non justificatus ad bene operandum, et evitandum peccata?*

I. Bene operari potest hic dupliciter intelligi, vel bene moraliter secundum rectam rationem, vel bene meritorie secundum motionem charitatis, et informationem gratiæ, et utroque modo inquirimus hic, an homo justificatus indigeat speciali gratia ad bene operandum: in qua difficultate tria sunt certa, et in duobus est difficultas. Primo est certum, quod quidquid conceditur homini lapso, vel in naturalibus constituto, debet concedi homini justificato; neque enim per gratiam deterioratur, sed perficitur natura; unde sicut diximus disputatione præcedenti quod homo lapsus potest aliqua bona opera facere, et leviores tentationes vincere, ita et justificatus: secundo certum est, quod posita gratia habituali magis connaturale est, quod Deus tribuat specialia auxilia, et supernaturalia quam